



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt plebs quæ nunquam habuit episcopum, nisi ex consensu non habeat.
xxxiiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

nastica deinceps institutione mansurus, non Episcopali ultra priuilegio frerus, sed sub abbatis regimine sicut huc usque fuit, erit modis omnibus mancipandus. Iam verò de cætero generale ponentes edictum, si quis contra hæc canonum interdicta venire conatus fuerit, vt in locis illis episcopum eligat fieri, vbi episcopus nunquam fuit, anathema in conspectu omnipotentis Dei incurrat, & insuper tam ordinator quàm ordinatus, gradū sui ordinis perdat: quia non solū antiquorum patrum decreta, sed apostolica ausus est conuellere instituta.

Vt plebs quæ nunquam habuit episcopum, nisi ex consensu, non habeat. Cap. XXXIII.

*Ex cōcil. Africa-
no. ca. 61.* **P**lacuit & illud, vt plebes quæ nunquam habuerūt proprios episcopos, nisi ex concilio plenario vniuscuiusque prouinciæ & primatis, atque consensu eius ad cuius diocesim eadem Ecclesia pertinebat decretum fuerit, minimè accipiant.

Vt nequaquam in duos metropolitanos prouincia diuidatur. Cap. XXXV.

*Concili.
Calcedo.
cap. 12.* **P**eruenit ad nos, quòd quidam præter ecclesiastica statuta facientes, conuolarunt ad potestates, & per pragmaticam formam in duo vnā prouinciā diuiserunt, ita vt ex hoc facto duo metropolitani esse videantur in vna prouincia. Statuit ergo sancta synodus de reliquo nihil ab episcopis tale tentari. Alioquin, qui hoc admissus fuerit, amissioni gradus proprii subiacebit. Quæcunque verò ciuitates literis Imperialibus metropolitani nominis honore subnixæ sunt, honore tantummodo persuantur, & qui Ecclesiam eius gubernat episcopus, saluis scilicet veris metropolis priuilegiis suis.

De illis episcopis, qui non sunt recepti ab illis, ad quos sunt ordinati vel denominati. Cap. XXXVI.

*Ex cōcil.
Ancira.
cap. 17.* **S**I qui episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parochia in qua fuerant denominati, voluerintq; alias occupare parochias, & vim præsulibus earum inferre, seditiones aduersus eos excitando, hos abiici placuit. Quòd si voluerint in presbyterij ordine vbi prius fuerant, vt pres-